1145 Quidam autem curiam cum facibus, ne evadere posset, circumdederant equis brachia eius calcantes et ardentes carbones super eum de facibus excutientes eum angelo Domini bono celitus protegente in dumetis videre non potuerunt. Dux autem scelesti exercitus domos comburi precipit, ut, si qua absconditus lateat, comburatur. Sed postquam eum evasisse sciunt, pecuniam, cum qua Romam erat iturus, capellam, palefridos, militum dextrarios, pauperum iumenta, eorum possessores, prout quisque poterat, spoliantes diripiunt et tanquam fausta victoria potiti, maximo foco in medio curie posito, ducem suum circumstantes diversis poculis, que ibi invenerant, post tantos sese labores reficiunt, et admodum, quod votum suum non expleverant, tristes inde recedunt. Quod si pastor bonus manus ovium su- cf. Joan. 10,11
arum sic non evasisset, quem affectum oves erga eum habeant, effectus ostenderet. Post has vero miserias dum quidam rusticus boves suos media nocte querens ad locum, in quo predictus episcopus latitabat, pervenisset eum episcopus de familia sua esse cognoscens clanculo vocat et, ut patrem suum Gnozdlam nomine cum aliquo runcinulo aut iumento, si fieri possit, ei adducat, rogat. Qui cum hoc patri referret, domini sui miseriti et super eo misericordia moti, iumentum,